

exiit. Forma est: *Accipe vestem candidam et immaculatam, quam perferas ante tribunal D. N. J. C., ut habeas vitam aeternam. Amen.*

Decimatertia; *Cerei ardoris traditio*: ut doceatur baptizatus, se fidem, spem et charitatem non tantum corde, sed etiam opere profiteri et exercere debere. Hinc s. Gregor. Naz. ait: *Lampades, quas accendes, illius luminis gestationis figuram gerunt, cum qua splendidae et virgines animae splendidis fidei lampadibus Christo Sponso obviam prodibimus. Baptizans dicit: Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum. Serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei in aula coelesti in vitam aeternam. Amen. N. vade in pace et Dominus sit tecum.*

CAPUT II. *De Sacramento Confirmationis.*

§. I. Praenotanda.

221. I. *Confirmatio* est Sacramentum N. L., quo homini baptizato per Chrismatis unctionem sub certa verborum forma ab Episcopo prolatam confertur gratiae sanctificantis augmentum ac robur, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepide profundandam. Vide *Trid. sess. 7.* quod Can. 1. de Confirm. ita statuit: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum ac proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia proponebant, anathema sit.* Eugenius Papa in Decreto Fidei ait: *Per Baptismum spirituualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide.* Prob. ulterius: ad veritatem Sacramenti etiam *Novatores* tria requirunt et sufficiunt: 1. *Ritus exterior* tanquam signum sensibile, qui consistit in rebus et verbis, sive materia et forma Sacramenti. 2. Promissio gratiae sanctificantis. 3. Institutio Christi: atqui haec habentur in Confirmatione: ergo. De materia et forma agemus §. seq. Promissio non tantum, sed et collatio gratiae habetur Act. 8. v. 14: *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod Samaria receperisset verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed tantum baptizati erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Quod factum ostendit (ait *Suar.* hic D. 32. Sect. 1.), Apostolos intellexisse, et hoc donum esse distinctum ab effectu Baptismi, alias non procurassent illud tanta sollicitudine hominibus jam baptizatis; et esse promissum a Christo sub tali caeremonia et signo visibili; alias non ausi fuissent illa uti, ut daretur Spiritus Sanctus. 3. Institutio colligitur satis tum ex ipsa potestate, qua Apostoli post Baptismum per impositionem manuum conferebant Spiritum Sanctum, id quod non ex propria auctoritate poterant; tum quia tam sollicite, ut dictum est, usi sunt data potestate.

II. Certo quidem ex Scriptura non constat, quo tempore Christus instituerit hoc Sacramentum; juxta *Bonac.* tamen. D. 3. pu. 1. n. 4., et *Suar.* l. c. Sect. 2. probabilius institutum est post Resurrectionem, quando Christus dixit Apostolis Joan. 20. *Sicut misit me vivens Pater, et ego mittos: dum iis dedit plenam potestatem Episcopalem in corpus mysticum Ecclesiae secundum instructionem, quam prius in nocte coenae illis tradiderat.* Porro hic observandum est, quod non omnis manuum impositione olim consueta fuerit confirmatoria; talis enim non fuit illa, quae olim adhibebatur ad curandos Energumenos, ut ait Bened. XIV. L. 7. de Syn. c. 7. n. 3.

§. II. Principia generalia de Confirmatione.

222. *Principium I. Materia remota Confirmationis est Chrisma ex oleo olivarum et balsamo confectionatum atque ab Episcopo benedictum.* Ita in Decret. Eugen. §. secundum *Sacram.* Et *Trid. sess. 7. Can. 2. de Confirm.*: *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Christi virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.* Porro juxta Decr. Eugenii cit. oleum in Chrismate significat nitorem conscientiae, balsamum vero odorem bonae famae: juxta *S. Thom.* p. 3. q. 72. a. 2. gratia Spiritus Sancti in oleo designatur, per balsamum odor virtutum, simulque robur spirituale: balsamum enim praestat etiam incorruptionem. An balsamum pertineat ad materiam Confirmationis de necessitate Sacramenti, an vero praecepsi; item an Chrisma debeat necessario necessitate Sacramenti esse benedictum ab Episcopo, non a simplici tantum Sacerdote, utrinque pro-pugnatur in *Theol. Schol. Tract. de Sacram.* Utrumque esse necessarium necessitate Sacramenti, in praxi tenendum tanquam probabilius et tutius, praesertim quia agitur de valore Sacramenti. Vide *Suar.* hic. D. 33. Sect. 1., *Pontas V. Confirmatio, Bonac., Laym., Palao, Coninck,* et alios contra *Cajet.*

223. *Princip. II. Materia proxima Confirmationis est unctionis Chrismatis in fronte Confirmandi facta manu Episcopi in crucis figuram.* Haec doctrina communis satis colligitur tum ex traditione, perpetua praxi Ecclesiae, et ex diversis CC. et PP., tum ex forma, qua utitur Ecclesia Latina in administratione hujus Sacramenti. Haec unctionis est vera manus impositio, de qua Act. 8. et 19. legitur, quod Apostoli fidelibus manus imposuerint, ut recipieren Spiritum Sanctum. *Prob. primo: Innoc. III. c. un. de sacra Unctione* §. 7. ita ait: *Per frontis Chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur Confirmatio: quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur.* Unde cum caeteras unctiones simplex Sacerdos vel Presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus Sacerdos, id est Episcopus, debet conferre; quia de solis Apostolis legitur (quorum Vicarii sunt Episcopi), quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant. In Decreto Eugenii ita habetur: *Ideo in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen erubescat confiteri et praecipue crucem ejus, quae Judaeis est scandalum, Gentibus stultitia secundum Apostolum: propter quod signo crucis signatur.* Tertull. L. de Bapt. C. 7. inquit: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione. Secundo, eadem traditio probatur ex testimonio Ecclesiae Orientalis. Conc. Laodicenum Saec. IV. celebratum Can. 48. sic habet: Oportet eos, qui illuminantur, post Baptismum inungi supercoeli Christate, et esse regni Christi participes.* Plura testimonia vide apud *Bellar.*, *Laym.*, L. 5. t. 3. c. 2. num. 3. Hinc varie a ss. PP. vocatur hoc Sacramentum. S. Augustinus L. 2. contra literas Petilian. c. 104. ait: *Sacramentum Chrismatis ... sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* A Theodoreto in cap. 1. Cant. vocatur *Sacrum unguentum*; a s. Cypriano epist. 71. ad Jubajanum *signaculum dominicum*. Unde contra objectionem, quod ex Act. 8. et 19. per solam manuum impositionem confirmaverint, valet duplex regula s. Augustini, qui L. de fide et oper. C. 9. ait, quod Scriptura multa taceat brevitatis gratia, quae serie traditionis constat ab Apostolis fuisse usurpata: et L. 6. de Bapt. c. 24. ait: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilii institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Atqui ex testimonio laudatis Chrismationem semper tenuit Ecclesia: ergo.

224. *Princip. III.* Forma Sacramenti Confirmationis in Ecclesia Latina est: *Signo te signo crucis; et confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ita constat ex Decreto Eugenii, Rituali Rom., et perpetuo usu Ecclesiae. 1. Per *τὸ signo te* etc. designatur, quod sicut miles ducis sui insignibus ornari solet, ita homo in hoc Sacramento cruce exterius, et invisibili charactere interius tanquam signo militari Christi signetur. 2. Per *τὸ et confirmo te* etc. exprimitur, quod homo in hoc Sacramento instar athletae exterius Chrismate, interius vero Spiritus Sancti robore ungatur. 3. Exprimitur causa principalis efficiens plenitudinem roboris spiritualis, quae est SS. Trinitas; simulque praecipuum fidei Christianae mysterium, quod homo in Baptismo suscepit credendum, hic tenendum et palam profitendum proponitur; ita S. Thom. q. 72. a. 4. Huc revocant Anselmus, Liranus cum S. Ambr. et Aug. illud 2. Cor. 1. v. 21: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus.* An autem haec forma sit ita necessaria, ut nulla alia sit sufficiens, utrinque defenditur in Schol. Theol. praesertim cum in Ecclesia Graeca haec forma adhibeatur: *Signaculum doni Spiritus Sancti.*

225. *Princip. IV.* Minister hujus Sacramenti ordinarius est solus Episcopus. *Prob. ex Trid.*, quod sess. 7. Can. 3. de Confirm. ita statuit: *Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Vide c. unicum de sacra Unct. cit. supra n. 223. Dixi, *ordinarius minister*: quia plures cum S. Th. q. 72. a. 11. et S. Antonino contra Durandum, Adrianum et alios defendant, quod ex commissione Summi Pontificis etiam simplex Sacerdos hoc Sacramentum conferre possit. Benedictus XIV. L. 7. de Syn. Dioeces. c. 7. ait, dubitari amplius non posse de Romani Pontificis potestate, qua simplicibus Sacerdotibus concedere possit facultatem, hoc Sacramentum administrandi. Ibid. c. 8. ait, delegationem hujusmodi esse actum potestatis supremae a Christo Domino soli suo Vicario in terris commissae; quamobrem omnibus in confessio esse, irritam nunc fore Confirmationem a simplici Presbytero Latino ex sola Episcopi delegatione collatam, quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit. Idem c. 9. ait, quod Chrismatio data a Sacerdotibus Graecis in iis tantum locis, ubi non est a Sede Apostolica expresse improbata, sit pro valida habenda ob tacitum saltem privilegium a Sede Apostolica illis concessum, quod ex conniventia Rom. Pontificum praesumitur: e contra quod irrita sit in iis locis, in quibus constat, Sacerdotibus Graecis eam potestatem esse ademptam; sic eam ademit Nicolaus I. Bulgaris, Cypris Innocentius IV., Italo-Graecis Clemens VIII. Vide etiam Tom. I. Bullar. Benedicti XIV. Constitutionem X. pag. 28., ubi idem Pontifex Guardiano sancti sepulcri Ord. Minorum de Observantia Paulo a Laurino concedit et delegat potestatem et facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis (ubi non erunt Episcopi ritus Latini in propria Dioecesi residentes) oleo et Chrismate a Catholico Antistite benedictis, etiam antiquis, si nova haberi non possint.

226. *Princip. V.* Subjectum Confirmationis est omnis et solus homo baptizatus. *Prob. ex c. Omnes*, de Consecrat. dist. 5., ubi ex epist. 1. Urbani c. 7. ita habetur: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inventiantur; quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur.* Benedictus XIV. L. 7. de Syn. Dioeces. c. 10. n. 1. 2. et 3. ait, hoc Sacramentum valide conferri omnibus baptizatis absque ulla aetatis differentia, ac olim omnes statim post Baptismum confirmatos fuisse, nunc

vero ante septennium ordinarie conferendum non esse; morem antiquum confirmandi statim post Baptisma adhuc observari ab Ecclesia Orientali. Denique addit, etiam in Ecclesia Latina nunc sancte et licite conferri posse septennio minoribus urgente periculo vitae, aut futurae diurnae absentiae Episcopi, vel alia necessitate seu justa causa: fieri autem oportere ab Episcopis sine ulla acceptio personarum. Duxi supra 1. *Omnis*: quia, sicut natura, quos generavit, conatur adducere ad suam perfectionem; ita Deus spiritualiter genitos per Baptismum ad statum gratiae perfectiorem per Sacramentum Confirmationis adducit; ad praeterea omnes baptizati capaces sunt gratiae augmenti; crescere, roborari et armari possunt ad fidem defendendam: ergo. Duxi 2. *Solus baptizatus*: quia cum Baptismus sit janua Ecclesiae, et aliorum Sacramentorum, nemo ante susceptum Baptismum Confirmationis est capax.

227. *Princip. VI.* Effectus Sacramenti Confirmationis sunt 1. Augmentum gratiae sanctificantis. 2. Auxilia specialia ac robur suo tempore conferendum ad fidem Christi fortiter profitendam cum quovis periculo, et ad superandas tentationes contra illam. 3. Character animae impressus, quo homo confirmatus insignitur et roboratur ad veram fidem defendendam: hic cum sit indebilis, idcirco hoc Sacramentum iterari nequit. De hoc vide Trid. n. 3. citatum, item c. 1. ad Ephes. v. 13.: *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto.*

228. Porro an hoc Sacramentum saltem per accidens possit conferre gratiam primam, vide in Theol. Schol. S. Thom. a. 7. P. 3. q. 72. ad 2. tenet affirmativam, ubi ita ait: *Etsi aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedit, dummodo non fite accedit, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur remissionem peccatorum.* Denique in parvulis usu rationis adhuc parentibus sufficient intentio sive voluntas Christi et Ecclesiae, sicut in baptismate. In adultis vero usum rationis parentibus, ut hoc Sacramentum valide suscipiant, requiritur praeter Baptismum intentio saltem habitualis, imo juxta Leonardelli de Confirm. n. 21. sufficit interpretativa, quae censemur adesse in quolibet Christiano, suscipiendo sua salutis remedia, dum de voluntate contraria non constat. Ad dignam et licitam susceptionem requiritur status gratiae, eo quod hoc sit Sacramentum vivorum. S. Thom. loc. mox cit. ita habet: *Sicut ex ipso nomine appetet, hoc Sacramentum datur ad confirmandum, quod prius invenerit: et ideo non debet dari his, qui non habent gratiam: et propter hoc, sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per poenitentiam reparatis.* Probabilis non requiritur determinate poenitentia per confessionem, sed sufficit contritus, ut docet Sylvius in 3. P. D. Thom. q. 72. a. 7., et Cabassutius Juris Can. Theor. et prax. L. 3. C. 3. n. 2., quia ad solam perceptionem Eucharistiae praecipitur confessio. Nec ex Concil. Aurelian. Can. *Ut jejunii, eruitur praeceptum: sicut enim jejunium ibidem expressum non est de praecerto, ita nec confessio.* Pontificale Rom. ita habet: *Adulti deberent prius peccata confiteri et postea confirmari, vel saltem peccata, quae admiserunt, doleant.* Denique requiritur devotio suscipientis aetati conveniens, quae eo magis excitabitur, quo perfectius confirmandus a suis antea instructus dignitatem hujus Sacramenti agnoverit: ideoque parvuli in scholis, adulti in catechesi prius bene instruendi sunt, quam admittantur ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum.

229. *Princip. VII.* In Confirmatione debet adhiberi patrinus, et quidem unus tantum sive vir, sive mulier. C. *Non plures* 101. de Consecr. dist. 4. juxta Babenst. T. 8. p. 2. D. 2. a. 4. n. 12., quamvis Trid. sess. 24. de Reform.

c. 2. permittat, ut in Baptismo possint adhiberi unus et una; id tamen ad Confirmationem extendi non debet, cum circa Confirmationem nihil videatur voluisse innovare. Porro patrinus Confirmationis *primo* debet esse distinctus a patrino Baptismi, nisi cogat necessitas, ut patet ex c. In Catechismo 100. de Consecr. dist. 4. Secundo, idem patrinus juxta probabiliorem debet esse confirmatus. Desumitur ex cap. In Baptismate 102. de Consecr. dist. 4.: *In Baptismate vel in Chrismate non potest alium suscipere in filium, qui non est ipse baptizatus vel confirmatus*: adeoque sicut non baptizatus invalidus fungitur munere patrini in Baptismo, nec contrahit cognationem spiritualem; ita etiam non Confirmatus. Sanch. L. 7. de Matrim. D. 60. n. 20. ibid. etiam Disp. 56. pluribus ostendit, quod patrinus, ut contrahat cognationem spiritualem, debeat vere tenere vel tangere filiastrum suum, v. g. dexteram imponendo ejus humero, dum confirmatur. De hac autem cognatione Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. C. 2. ita statuit: *Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis*. In quibusdam Dioecesis hoc Sacramentum confertur sine ullo patrino, uti testatur Gobat de Confirm. n. 781. de Dioecesi Constantiensi.

§. III. Resolvuntur Casus.

CASUS I. De Materia remota Confirmationis.

Fridericus Episcopus neo-consecratus, cum Sede vacante novum Chrisma in Coena Domini consecratum non esset, adhibet vetus Chrisma ministrando Sacramentum Confirmationis; quod ipsum Chrisma suspectum videbatur, quia mercator, qui a multis annis oleum olivarum subministraverat, proditus fuit, quod oleum de nucibus commiscere soleat.

230. *Quaeres I.* An Confirmation in veteri Chrismate collata fuerit valida et licita? R. *Valida* quidem fuit, modo Chrisma adhuc fuerit incorruptum et vitio substanciali carens; sed non *licita*. *Ratio primi* est: quia Chrisma anno superiore benedictum manet simpliciter Chrisma benedictum ab Episcopo, ideoque materia essentialis. Porro in absentia Episcopi, vel Sede vacante solet adiri proximus Episcopus pro consecrando novo Chrismate, ut notat Glossa in cap. *Si Episcopus*, de supplend. neglig. Praelat. in 6. *Ratio secundi* est: quia de Ecclesiae praecerto Chrisma debet eo anno esse benedictum. Vide c. *Litteris de Consecr. dist. 3.* ubi veteris Chrismatis usus prohibetur et novi consecratio precipit facienda die Coenae Domini; ideoque peccat graviter, qui citra necessitatem utitur Chrismate antiquo. *Suarez.* D. 33. Sect. 1. sub fin.

231. *Quaeres II.* An ratione olei nucum commixti fuerit invalida Confirmation? R. Si in modica quantitate illud fuerit commixtum, adhuc fuit valida, quia tunc supponitur adesse major quantitas verae materiae, sive olei olivarum: cur autem hoc oleum prae caeteris dicatur materia Confirmationis, *ratio* est, quia olea caetera v. g. nucum, piscium, amygdalarum, lini etc., licet habeant vim unctivam, soli tamen oleo olivarum proprie communis appellatio olei usualis convenit, utpote quod maxime in usu hominum habetur; sicut soli aquae elementari convenit appellatio aquae tanquam materiae Baptismi; quod utrumque ex usu et praxi Ecclesiae patet. *S. Thom.* qu. 72. a. 2. ad tertium.

232. Porro Chrisma Graecorum (etsi illi praeter balsamum insuper adhuc 12, imo juxta alios 30 diversi generis aromata oleo immisceant) ab

Ecclesia Latina tamen permittitur, modo aromata admixta Chrisma ex oleo et balsamo vel physice vel theologicie non corrumpant.

CASUS II. De Materia proxima et Forma Confirmationis.

Firmilianus Sacerdos Missionarius ad extremas Americae plagas abi- turus, a Summo Pontifice impetrat facultatem confirmandi eos omnes, quos ipse aliquando esset baptizaturus in America. Eo feliciter perductus, intra paucos annos plures in fide instructos baptizat et confirmat. Aliquando cum pollice vulnerato signare frontes confirmandorum non possit, digitum indicem adhibet: alias frontem lepra infectam mediante penicillo, subinde etiam loco frontis inungit dexteram maxillam cum hac formula: Confirmo de Chrismate salutis in N. P. et F. et Sp. S. Amen. Denique deficiente Chrismate, dubius haeret, an cum facultate confirmandi simul obtinuerit potestatem conficiendi sacram Chrisma.

233. Q. I. An Firmilianus hoc ipso, quod acceperit facultatem confirmandi, etiam habeat potestatem conficiendi sacram Chrisma? Respondet Benedictus XIV. L. 7. de Synod. Dioeces. c. 8., hanc facultatem semper limitatam fuisse hac lege, ut tales Presbyteri non alio uterentur Chrismate, quam ab Episcopo consecrato; nec ullam esse necessitatem concedendi simplici Presbytero facultatem consecrandi Chrisma, eo quod is secum deferre possit Chrisma ab Episcopo acceptum, quocumque se conferat, et quod facile etiam obtinere possit a Romano Pontifice dispensationem illius praecepti, quo prohibetur usus Chrismatis anno priore benedicti; adeoque Firmilianus ex potestate confirmandi non potest sine distincta et expressa facultate conficere sacram Chrisma. Utrum autem Papaas simplici Sacerdoti possit delegare consecrationem Chrismatis, utrinque ab AA. propugnatur. Affirmativam tenent cum Scotistis *Mastrius* in Theol. Mor., *Card. de Lauraea* de Sacr. Confirm. D. 2. a 3., *Gobat*. Negativam tenent *Coninck*, *Palao* P. 4. t. 20. p. 2. n. 7, quorum rationes vide apud *Joan. Clericatum de Confirm. decis. 54. n. 10.*

234. Q. II. An Confirmationes a Firmiliano collatae sint validae? R. Prima Confirmatione indice digito facta valida fuit, sed illicita: quia, licet in Ritualibus praescribatur, ut unctione fiat pollice manus dexteræ, idque non sine mysterio, ut exponitur a *Joan. Clericato* l. c. decis. 56. n. 7., hoc tamen non videtur ita essentialis, quin, si contingeret fieri unctionem alio digito etiam manus sinistrae, Sacramentum factum teneret; quia tunc esset sufficiens manus impositio, et caetera omnia, quae ex parte materiae et formae ab omnibus requiruntur, concurrerent. Ita *Suar.* hic. D. 33. Sect. 3. sub fin.

235. Secunda Confirmatione mediante instrumento collata est invalida: quamvis enim ad Extremam Unctionem sufficiat, ut fiat illa mediante instrumento, id tamen non sufficit ad confirmatoriam unctionem, utpote ad quam essentialiter requiritur manuum impositio, ut patet ex n. 223.; atqui si Chrismatio fiat mediante instrumento, non habetur manuum impositio: ergo. Ad Extremam autem Unctionem nec ex Scriptura, nec ex traditione requiritur manuum impositio, sed sola unctione, quae potest fieri mediante instrumento; ergo. *Bonac.* D. 3. de Confirmat. p. 3. n. 4. *Palao*. *La Croix* contrariam sententiam *Henrig.*, *Fernandez*, et aliorum censet non esse probabilem.

236. Tertia Chrismatio facta in maxilla juxta *Clericatum* decis. 56. n. 1. est invalida; quia licet Ecclesia non definiverit, unctionem in fronte esse essentialem, satis tamen id indicat ex antiquissima et nunquam interrupta observantia, et dum Patres, Pontifices et Canones loquuntur de

hac sacra Chrismatione, semper eam conjungunt cum parte ungenda, scil. fronte. Contrariam opinionem *Clericatus* cum *Diana* vocat temerariam et falsam.

237. *Quær.* III. An Confirmatio a Firmiliano collata sit invalidatione formae? R. Juxta *Suarez*, hic D. 33. Sect. 5. et alios ibid. cit. invalida est, eo quod utrumque verbum: *signo te signo crucis*, et, *confirmo te Chrismate salutis*, sit essentiale formae; omissio enim primo verbo *signo te* etc. non fit mentio, nec significatio crucis, quae tamen valde consentanea est fini et effectui hujus Sacramenti; omissio autem altero, pariter non exprimitur primarius effectus hujus Sacramenti; ergo. Juxta *Durandum* vero et alios apud *Bellarum*. L. de Confirm. c. 10. valida est, quamvis illicita, quia verbum *Confirmo*, adjecta Chrismatis unctione, satis determinatur ad significandam Confirmationem. Unde ex diversitate sententiarum satis patet, has et similes formas: *Signo te Chrismate salutis*, vel, *Confirmo te in nomine Patris* etc. valde dubias esse, adeoque Sacramentum sub his formis collatum sub conditione esse repetendum. Ita *Leonard.* de Confirm. c. 1. §. 3. n. 17.

CASUS III. De Subjecto et Caeremoniis Confirmationis.

Franciscus Episcopus zelosissimus, cum in finibus suae Dioeceseos Sacramentum Confirmationis administrare vellet, praeter Dioecesanos etiam plures ex vicina Dioecesi advertit concurrere, de quorum instructione ac dispositione dubitans mox jubet, ut Concionator e suggestu eos prius instruat et caeremonias Confirmationis explicet.

238. Q. I. Quid agendum incumbat Parocho, antequam confirmentur parochiani? R. Juxta *Rituale Herib.* 1. monere debet populum tempestive, eumque e suggestu et in Catechesi instruere de dignitate, utilitate, institutione, effectibus, caeremoniis, aliisque ad hoc Sacramentum pertinentibus. 2. Exhortabitur nondum confirmatos, ne hanc pretiosi thesauri occasionem, quae quotidiana non est, negligant. 3. Docebit, quamvis per se certa aetas ad hujus Sacramenti susceptionem exspectanda non sit, ante septennum tamen non facile quemquam ad Confirmationem sistendum esse, tum ut Sacramentum cum devotione actuali recipient, tum ut absit periculum repetendi idem Sacramentum. 4. Persuadebit omnibus, praesertim adultis, ut a peccatis per confessionem, vel saltem contritionem purgati accedant, ne fructu et gratia tanti Sacramenti priventur. 5. Cum hoc Sacramentum characterem indelebilem imprimat, severissime moneat, ne quis iterato illud suscipere praesumat, gravissimum alias sacrilegium et debitas utriusque fori poenas incursum. Irregularitas tamen non incurrit per iterationem hujus Sacramenti, quia haec nullibi in jure legitur expressa. Ita *P. Elbel.* hic n. 21. cum *Reiffenst.* et communiori DD. 6. Explicet ea, quae dicta sunt de patrino et de spirituali cognitione, quae ex hoc officio oritur. 7. Monebit, ut cum devotione, reverentia, attentione, sine tumultu et strepitu accedant, multo minus turmatim trudant, protrudant confirmandos, frontem, si sudore sit madida, strophiolo extergant, ante Episcopum manus devote conjunctas attollant, patrinus manum dexteram super humerum dexterum confirmandi teneat etc. 8. Certum tempus ex suggestu, v. g. diem dominicam vel festivam designet, qua singuli parochiani neo-confirmati cum patrinis se Parocho sistant, ut eorum nomina in speciali libro possit annotare.

239. Q. II. Quinam potissimum ritus explicandi sint confirmandis? R. *Primo*, quod Episcopus signum crucis cum sacro Chrismate fronti imprimat, tanquam symbolum militiae Christianae. *Secundo*, quod alapam

maxillae confirmati leniter infligat, ut discat confirmatus, pro Christi nomine omnia adversa constanter et fortiter esse preferenda; partim etiam, ut recordetur hujus Sacramenti suscepti. *Tertio*, quod pacem confirmato optet, ut sciat, se caelestis gratiae plenitudinem ac pacem, quae exsuperat omnem sensum, accepisse. Ita *Rituale Herib.* Denique in multis Dioecesis moris est, ut a ministris Episcopi sacrum Chrisma statim abstergatur a fronte confirmati, et tunc fascia non est necessaria; ubi tamen haec abstersio non statim fit, frons confirmati obliganda est fascia, sive vitta linea cruce notata; quae fascia per unum vel plures dies pro locorum consuetudine gestanda est, ne forte sacrum Chrisma irreverenter contrectetur aut aliis rebus commisceatur; postea illa vel a patrino, vel (quod decentius est) a Parocho vel alio Sacerdote aut Clerico deponitur, simul abluedo frontem; speciale modum vide in *Rit. Herib.* Fascia autem vel debet comburi, vel decenter asservari, non vero ad usus profanos, multo minus superstitionis adhiberi. In liganda tamen vel dissolvenda ejusmodi fascia nulla spiritualis cognatio contrahitur.

240. Q. III. An Episcopus licite confirmare possit alienae Dioecesi subditos? R. Per se loquendo non potest; quia confirmare est actus jurisdictionis. *Excipe*, nisi habeatur licentia, saltem rationabiliter praesumpta, proprii Ordinarii, v. g. 1. Si quis cum litteris dimissoriis ordinandus veniat, qui nondum confirmatus est, licite ante Ordinationem confirmatur; quia, concessu uno censentur etiam concessa reliqua, sine quibus illud convenienter suscipi nequit; atqui sine Confirmatione praemissa prima tonsura et reliqui Ordines licite et convenienter suscipi nequeunt; ergo. 2. Si confirmante Episcopo in propria Dioecesi accurant etiam accolae ex aliena, licite confirmantur, tum ob praesumptionem, gratum id fore proprio Episcopo, tum ob consuetudinem passim receptam. *Laym.* L. 5. t. 3. c. 6. n. 2. Sic tamen confirmati postea Parocho proprio se sistere debent, ut libro confirmatorum eorum nomina inserantur.

241. Q. IV. An confirmatio sit necessaria ad salutem, et quanta sit obligatio illam suscipiendi? R. 1. Confirmatio non est necessaria ad salutem necessitate medi; quia homo sine Confirmatione per Baptismum, et hoc suscepto, per poenitentiam veniam peccatorum consequitur, Deoque gratus ac justus evadit. *Confirm.* 1. ex sensu Ecclesiae, quae nequidem in articulo mortis judicat, necessario confirmandos esse necdum confirmatos, neque docet, Confirmationem saltem in voto esse necessariam. *Confirm.* 2. ex *S. Hieron.* qui in *Dial. contra Luciferianos* ait: *Alioquin, si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus S. defluit, lugendi sunt, qui in longe minoribus urbibus ante dormierunt, quam ab Episcopo visitarentur.* R. 2. Neque necessaria est per se necessitate praecepti graviter obligantis. *Ratio* est: quia praecipuum obligans sub mortali non est asserendum sine cogente fundamento; atqui nec ex Scriptura, nec aliunde assignari potest cogens fundamentum; ergo. *Min. Prob.* Si hoc Sacramentum esset jure divino praecipuum, daretur omnibus adultis in articulo mortis, ut mox dictum est; atqui hoc usus Ecclesiae non habet: ergo. *Confirm.* ex eo, quod fideles communiter non inducantur ad recipiendum hoc Sacramentum tanquam ex necessitate obligati, sed tanquam invitati ad id, quod per se bonum et utile est; unde nullis censuris, neque aliis mediis, quae necessitatem indicent, ad id adstringi solent: ita *Suar.* hic D. 38. Sect. 1., ubi addit, quod Patres et Pontifices, qui de hoc Sacramento loquuntur, explicit tantum vim, efficaciam et utilitatem maximam (quam quodammodo necessitatem appellant), nihil autem dicant, quod sufficienter indicet praecipuum; item quando Patres docent, hoc Sacramentum requiri ad pleni-